



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè
proponuntur

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Stimulus 8. Sanctorum Angelorum merces.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

tanto is ad ampliorem Christi Domini & meritorum ejus remunerationem operetur, adaugeatque præmium redemptionis suæ, ipsi Redemptori suo. Quæ res, quām sit per omnem modum grata eidem Redemptori, cuius meritis infinita debetur præmiatio, non est quod explanetur, cūm etiam non sit quod ambigatur.

Rom. 12. 31. sicut qui sunt *spiritu ferventes* & in omni diligentia *Domino servientes*, meritaque gratiæ & vitæ æternæ sibi magis ac magis cumulantes, præclare valdè de Domino suo, deque ejus meritorum copiosa præmiatione merentur. ita per contrarium omnes illi, qui sunt remissi & languentes in operibus suis, quorum opera nequaquam plena inveniuntur coram Domino, & coram Christo ejus: neesse est ut maledicti sint & evomantur ex ore Domini, & inter servos inutiles atque pigros computentur, ligatisque manibus & pedibus projecti in tenebras exteriores, habeant partem suam cum hypocritis, perfidis, & injuriosis Christo Redemptori suo, ac ideo etiam odibilibus Deo suo. *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Non potest in ejus vel gratiam vel gloriam liberalis esse Christus, qui se non exhibit quantum prævalet liberalem in glorificandum Christum. E contra, quanto se quis liberaliorem in eum præstiterit, tanto cundem in se liberaliorem habebit.

Stimulus VIII.

Sanctorum Angelorum merces.

Psal. 90. 11.

DEUS noster mandavit Angelis suis de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Custodiunt ergo nos, tanta sedulitate, tanta fide, tanta constantia, tanta morositatis nostræ supportatione, ut evincant charitate sua erga nos, omnem

aliam

aliam quamcunque familiarium nostrorum benevolentiam diligentiamque. Nam quæ Mater aut Nutrix tam obstinata viscerositate curat infantem suum diebus infantiae ejus, quæ invincibili propensione atque profusione curant nos Angeli nostri omnibus diebus omnibusq; momentis, in omnibus viis vitæ nostræ: Et hoc agunt mercede à nobis alia nulla, præter quam, ut conculato leone & dracone, ut inoffenso pede nostro pergamus atq; omniq; pertingamus ad usq; portas vitæ æternæ, quas introgrelli efficiamur *domestici Dei, Civesque Sanctorum, adscripti ad Societatem multorum millium Angelorum.* In quo cursu salutis, ô quantum illi & inserviunt nobis, & congaudent laboribus nostris, & applaudunt progressibus nostris, & pascuntur perfectione nostra, & recreantur fervore nostro, & annuntiant Domino Majestatis bona de nobis, & offerunt conatus nostros, & referunt benedictiones studiis nostris. O quanto cum gaudio, quanta cum hilaritate, quanta cum gratulatione occurunt nobis, excipiunt nos & porrigunt dexteræ, & ruunt in amplexus, & adstringunt brachiis, egredientes de navigatione vitæ, deque navigio corpusculi hujus, & subintrantes portum salutis, & terram viventium capeſſentes, atque beatæ æternitatis primordia delibantes. Tunc nos illi, tunc in manibus portant, universasque meritorum sarcinulas, tunc nos Divino præsentant conspectui, atque præparatis à Divina dextera coronis submittunt capita nostra tunc nos destinatis inferunt ordinibus, & in promeritis collocant sedibus, adgratulantes sibi felicem, optatum, finalem, suorum circa nos finem & exitum laborum. O quæ tunc consolatio & congratulatio

Eph. 2.19.

P 5

Ange-

*OPUS
SILVAE
M. 1800*

Angelorum atque Animarum vicissim. quando illi quidem suas exponent in curandis animabus industrias, illæ contra recensemunt suam in obediendo sanctissimis saluberrimisque Angelorum monitis & consiliis facilitatem, fidelitatem atque perseverantiam ! Tunc omnium momentorum vitæ hic actæ erit gratissima rememoratio , tunc profusio erit mutua mentum in Divinas laudes & gratias.

Ad istius ergo inenarrabilis gaudii congratulationisque metuæ complementum : ad auctionem Mercedis Angelicæ, Angelis adeo debitæ simul & gratæ: nonne per quām dignum est, ut omnis anima , quibus maximè studiis , conatibus , vigiliis que potest (dum per hanc vitam adhuc potest) tota cooperetur , tota se impendat: & superimpendedat , agendo ferventer, operando naviter, sitiendo iustitiam insatiabiliter , progrediendo & proficiendo infatigabiliter : semper amplius & amplius Divinum beneplacitum & voluntatem, Divinam gloriam & exaltationem, Divinam possessionem atque fruitionem , Denique DEUM super omnia gloriosum concupiscendo inexplebiliter? Esto talis & tu, Angelosque, custodes ac Benefactores , & Amicos tuos , quotidianis ad meliora profectibus ad Divina desideriis, ad perfectissima & heroica conatibus , in omnibus vitæ tuæ reliquæ momentis recrea, & satia, & remunerare. Grata siquidem est omni Mercenario dies ejus.

Job. 14. 6.

Stimulus IX.

Sanctorum in Cælo Consolatio.

Regnat etiam in cælis consortium sanguinis. Ideò Deus-Homo factus est, ut connaturalius Hominum misereri posset, ut benefaciendo nobis,